



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche
Haus-Angelegenheiten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

8. Markgraf Otto tritt als Tutor König Wenzel's dem Kloster Marienstern
das Eigenthum an dem Walde Luk ab, am 25. Mai 1280.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55801](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55801)

8. Markgraf Otto tritt als Tutor König Wenzel's dem Kloster Marienstern das Eigenthum an dem Walde Luf ab, am 25. Mai 1280.

Nos Otto, dei gracia Brandenburgensis marchio et jllustris domini Wentcetzlai in regno Bohemie tutor et capitaneus generalis, notum esse cupimus vniuersis et tenore presencium publice protestamur, quod ecclesia sanctimonialium uidelicet ad stellam sancte Marie Cisterciensis ordinis et Misnensis diocesis quandam siluam, que Luk vulgari nomine nuncupatur, cum omnibus suis attinentijs sitam inter has uillas uidelicet Pezkwicz, Rokelewicz, Zmotechwicz, erga Reinskonem de Penczk, qui eandem siluam cum alijs suis bonis a patruis nostris jllustribus Johanne, Ottone et Conrado, marchionibus Brandenburgensibus, et a nobis jure tenebat feudali, sua pecunia comparauit. Quapropter principaliter propter deum demumque ad instanciam honorabilis viri domini Bernhaldi, Misnensis ecclesie prepositi, capellani nostri dilecti, ad ampliacionem cultus diuini, proprietatem dicte silue cum suis attinecijs pro parte nostre ecclesie supradicte dedimus ex mera nostri animi puritate. Ne autem super huiusmodi proprietatis concessione alicui valeat in posterum dubium suboriri, presentem litteram in euidentis testimonium conscribi fecimus et nostri sigilli munimine communiri, testibus qui presentibus interfuerant subnotatis: nobili viro domino Helmoldo, comite de Zwerin, Ottone, burgrauio de Donin, Zabello de Reditisdorf, Luthero de Scribersdorf, Arnolde de Lagowe, Ottone de Polsnicz, Ottone de Malzwicz, Henrico de Wildenhagyn, militibus, et alijs quam pluribus claritate fidei conprobatis. Datum in Gorlicz, anno domini millesimo ducentesimo octogesimo, octauo kalendas junij.

Lausigisches Magazin XXXV, Cod. dipl. II, S. 9.

9. Markgraf Heinrich von Brandenburg und Landsberg verzichtet zu Gunsten des Bischofs und der Kirche zu Naumburg auf die Aue bei Naumburg, am 7. April 1304.

Nos Henricus, Dei gracia Brandenburgensis et de Landesbergk Marchio, recognoscimus ac omnibus has litteras visuris cupimus fore notum, quod nos audito iure et plenius intellecto, quod venerabilis dominus Episcopus et ecclesia Numburgensis habet sive habere dinoscitur in Owa prope civitatem Numburgk sita extirpata, renunciamus libere omni iuri et actioni, quod vel quam supra dicta Owa nobis credebamus competere et renunciamus perpetuo in his scriptis, ita quod de cetero nos, heredes vel successores nostri in eadem Owa nullum ius penitus sibi debent vel